









1737.

1. Budens, Christ. Gall. : *De capitolacionibus episcopis.*  
2mm Germaniae.
2. Daries, Joachimus Georgius : *Reco, quod justus est area legum talionis tam in foro externo quam in foro privato.*
3. Hemburg, Dr. Casp. : *De anticategorica velgo recriminatione in processu accusatorio ex Romanis iure spectata.*
4. Herbelius, Ioh. Fried. : *De alienatione patrimonii missorum familiali, vel omnibus etiam loca conseruentibus illicitâ.*
5. Herbelius, Dr. Historius : *De jure ventis testium praeponto.*
6. Kemmerichius, Dic. Horn, Ord. iur. procurator :  
Programma : *De institutis Germanorum ad orationem patrimonii familiaris spectantibus, dissertatione inag. postulat. . . . Tollebas Adolphus Henricus Heydenreichi praemissus,*

1737.

7. Aus, Johannes Reinhardus : De studio martyris in ecclesia primitiva.
8. Schomberg, n. Gottfried : De testamento numeratio.
9. Walckius, Ioseph Georgius : De hymnis ecclesiis apostolicis.
10. Wegener, Ernestus : De mutuo studii historico et politici nexo.
11. Buderus, Christianus Gottlieb, Far-jur. Decanus : Programma, Christiani Henrici Reinhardi ... auspicio ... diss. fabiorum praemissum.
12. Buderus, Christ. Gottlieb : De iuriis retractus gentilium in Germania origine. 2. Eempl. 1738 - 1754.
13. Buderus, Christianus Gottlieb : Historia Programma ... Filiis eius Aureac Gottlieb Ernesto ... auspicio ... diss. fabiorum praemissum.

1737

14. Ruderus, Christianus Gallus : Historia canoniciatum supp.  
regumque Germaniae sine praetextate regiae.
- 15<sup>a</sup> Cossmus, Christianus Joannes Antonius : De consuetudinibus  
2 Jaunpl.
- 16<sup>a</sup> Engen, Dr. Augustinus : De iuribus principum even-  
talicorum circa oratores sacros. 25 Jaunpl. - 1738 - 1756.
17. Estor, Dr. Georgius : De societate Leonina et l. 29 522.  
pro socio
18. Heimburgius, Dr. Casp. : De fisco reo Delitorum fiscalium  
iure creditoris atque Distractoris.
19. Heimburgius, Dr. Casp. Fac. juri. Decimus : Programma,  
auspicali Dissertationis Friderici Pii Linckii . . .  
praemissum.
20. Hertelius, Dr. Fridericus : De iuris Romani subtilitate.  
Libus . . . Prulario aca demica, qua praelectiones mag-  
academicas auditas . . . in his L.

1738.

21. Schierenschnürung, Tr. Taz. 1. : Ne imputabione culpar circa  
locationem conductionem

22. Schierenschnürung, Tr. Taz. 2. : Ne servabile rerum temporari  
locatione conductione constituta

24

DISSE<sup>T</sup>ATIONE IVRIDICA  
**IMPV TATIONEM CVLPAE**  
CIRCA  
**LOCATIONEM CONDV.  
CTIONEM**

1738, 21

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE  
SAYNAE ET WITTGENSTEINII CETERA.

EX CONSENSV  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**IO. IVST. SCHIERSCHMIDIO**  
I. V. ET PHIL. D. FACVLT. PHIL. ASSESSORE DE.  
SIGNAT. ET REGIMINIS SAXO ISENACENSIS  
ADVOCATO IMMATRICVLATO  
PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO  
PVBLICE PROPONET

**IOH. ADOLPH. DANIEL MANEKE**  
PHILOSOPH. ET L. L. C.  
BEVTZENBVRGENSIS MEGAPOLITANVS

AD DIEM IV. OCTOBR.

IENAE  
LITTERIS HORNIANIS.

DISSERTATIONE IURIDICA  
IMPATRACIONEM CAPTAE  
LOCATIONI CONDA.  
CITATIONE

PER GREGORIUM MACHINICUM BARONIUM  
SERVINTISSIMO PRINCIPALICIS DOMINI  
DOMINO.

GEALIE MO HENRICO  
DACE SAXONIAE LAVATHEI CIVITATIS MONSIA  
ANDALUSIE SPANIAE MARITIMAE COMITIA  
SICILIAE ET MELITENSIS HINC ETIA

EX CONVENTU  
ILLUSTRISSIMO ORDINIS  
PATERIDE  
IO. IUST. SCHIERSCHMIDIO  
PROFESSORE STO. HEDDOLINIO  
LUDICRE PROGONIO  
JOH. ADOLPH. DANIEL. MANNHE  
PHILIP. OTT. ET F. D. O.  
BEAVERBAGENII MEGALOPOLITANUS  
AD. DIET. IN OCTOBR  
ILLUSTRISSIMO MANNHE

V I R O

PRAECELLENTISSIMO CONSULTISSIMO  
AMPLISSIMOQUE

MICHAELI LAVRENTIO  
MANEKIO

PROVINCIAE NEOSTADIENSIS PRAE-  
FECTO ATQVE SERENISSIMI DVCIS MA-  
GAPOLITANI IN REBUS CAMERAE  
SVERINENSIS AB EPISTOLIS

PARENTI SVO OPTIMO

ADOLF PH DANIEL MANEKI

SALVTIS SVAE STATORI  
ATQVE AMPLIFICATORI  
AETERNVM DEVENERANDO  
HOCCE  
INGENII ATQVE OBSEQVII MONVMENTVM  
PONIT  
ET QVAEVIS PROSPERITATIS GENERA  
EA QVA DECET FILIVM OBSERVANTIA  
PRECATVR

PARENTIS QVA OPTIMO

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS  
**IO. ADOLPH DANIEL MANEKE.**

CONGRATVLATIONES  
ILLVSTRISSIMORVM DOMINORVM  
OPPONENTIVM.

Musis sacra cohors oculis sectatur eun-  
tem  
In cathedram, ac Themidos docte sacra  
iura loquentem.

Plaudunt Pierides, applaudit nostra Sa-  
lana.

Sis saluus, sospes, sis omni parte bea-  
tus.

CAROLVS FRIDERICVS  
Comes de Basseviz.

**CONGRATULATIO**  
**P**lausū iam resonant Themidos sacra tecta  
canoro:

Dotes namque sonat docta cathedra  
TVAS.

Has TIBI tam multis vigilatas noctibus  
artes

Gratulor, ex animo prospera quaeque  
precans,

**AVGVSTVS WILHELMVS**  
comes ab Hohenloe et Gleichen

**CAROLVS TRIDERICVS**



## PROOEMIVM



Am dudum imputatio culpare circa contractus mouit plures, qui in explicandis legibus romanis inter ceteros eminent, ICtos. Disputationes, quas hac in re b. ADAMVS STRUVIVS et b. COCCEIVS, Viri de Iurisprudentia romana meritissimi, nobis reliquerunt, abunde satis loquuntur, quam necessaria in ipso quoque foro sit disquisitio huius materiae de praestatione culpare in contractibus; quam adeo b. THOMASIVS difficillimis annumerare haud dubitauit. Quamquam autem THOMASIVS subtilis ceteroquin disputator, quum eas, quae in hisce culparum praestationibus occurrent, difficultates superare se posse desperauerit, suo, quo abundabat, ingenio explodere annus fuit; animaduersiones tamen eiusdem non potuerunt animum Dni. Praefidis deterrire, quo minus praestations culpare circa contractus iure romano determinatas, ex praeceptis iuris na-

A

turalis

## DE IMPUTATIONE CULPAE

turalis deriuaret. Inde in dissertatione secunda non solum principia determinata struxit, verum in eadem quoque praestationes culpaे circa contractus innominatos et reales iure ciuili decisas ex iisdem principiis demonstrauit: deinde in tertia imputationem culpaе iure romano cognitam circa emtionem venditionem, primum inter consensuales contractum, ex principiis in prima et secunda stabilitis distincte repraesentauit. Amplitudo autem et grauitas rei prohibuit, quo minus in eadem tertia simul praestationes culpaе circa reliquos consensuales in iure romano obuios delinearet. Animus igitur ausus in hac quarta culpas, quae circa reliquos contractus consensuales contrahentibus ad reparationem damni imputantur, determinare. Verum tamen diuerfae, quas de locatione conductione formarunt, species adeo amplum nobis campum aperuere, ut pagellae dissertationi destinatae vix sufficiant ad excipiendas varias circa locationem conductionem culparum praestationes. Vnde culparum imputationes in reliquis contractibus consensualibus a iure romano decisas sequenti dissertationi relinquere coacti sumus.

### S. I.

**E**st autem LOCATIO CONDUCTIO alter contractus consensualis, quo alteri vsum rei nostrae determinatum pro certa pecuniae summa promittimus (§. 27. Lib. 3. T. 2. Elem. I. c.). Res externa nobis propria et actiones propriæ pertinent ad res nostras (§. 3. Sect. I. Add. Elem. Iur. civ.). Inde constat, quod duae dentur species locationis conductionis, quarum prima dicitur LOCATIO CONDUCTIO RERVM, conf. Illistr. BOEHMERI Digest. Lib. 19. T. 28. posterior autem, qua alteri vsum ex actionibus propriis prouenientem determinatum pro certa pecuniae sum-

summa promittimus, in duas alias cospecies abit; prout istae actiones seu operae, vel opere ad existentiam perducendo, vel numero saltim, determinatae sunt, quarum prima LOCATIO CONDUCTIO OPERIS, altera autem LOCATIO CONDUCTIO OPERARUM audit. B. STRUVII  
Syntag. Iuris Ciu. Exercit. 19. t. 2. §. 3.

SCHOLION Alter contrahens, qui vsum rei pro certa mercede promittit, locator, alter autem, qui mercedem certam pro vsu rei promittit, conductor dicitur: Quamquam ICti romani non adeo fixum tenent significatum. FLORENTINVS enim in L. 36 ff. loc. cond. eum, qui operas opere existentiae reddendo determinatas pro certa mercede promisit, conductorem, alterum, qui mercedem praefstat, locatorem vocat: Cum LABEO in L. 60. §. 3. ff. l. c. contr. L. 38. ff. eum, qui operas opere quodam determinatas promiserat, redemptorem appellat.

## S. II.

Locatio conductio rerum est contractus consensualis, quo alteri vsum rei nobis propriae externae pro certa pecuniae summa promittimus (§. praec.). Sed res externa alicui propria esse potest, et mobilis et immobilis, quarum posterior praedium dicitur, quod vel urbanum vel rusticum esse potest. (§. 39. et 40. Sect. I. add. Elem.). Inde locatio conductio rerum in tres species rursus abiret; in quarum quidem ultima conductor colonus in altera INQUILINUS audit, in prima autem adhuc peculiari nomine caret.

SCHOLION Nec minus annotemus, quod conductor praeditus nobilis cum iurisdictione ADMODIATOR, Pacht Amtmann, ARENDATOR, ARENDIRER vocetur conf. BERGERI Oec. Iur. LIII. t. 5. §. 19. n. 3. Et cum porro vectigal, seu pecunia pro transitu per vias publicas ab aurigis possessori cuiusdam praedii conferenda, pertineat ad fructus ciuiles, qui ex istius modi praedio percipiuntur, concipi potest conductor vectigalium, qui PUBLICANUS audit.

Promittens pacto vult alteri auxilium exhibere (§. 6.)

A 2

Differ.

IV. 2

4 DE IMPUTATIONE CULPAE

Dissert. II.) sed haec auxilia, vel uno actu, vel actibus per aliquod tempus iteratis, alteri exhiberi posse non repugnat. Quare non repugnat, quin promittens pacto alteri auxilia uno actu, vel actibus per aliquod tempus iteratis exhibeat. Inde PACTA IN TRANSITORIA ET NON TRANSITORIA diuiduntur. conf. B. KOEHLERI, Praeceptoris aeternum colendi ius sociale §. 502. et HUBERI ius ciuil. lib. III. Sect. IV. §. I.

§. IV.

Vsus rei nostrae determinatus alteri pro mercede conferendus, eodem modo, vti merces pro vsu rei alienae, alteri conferenda, est species auxillii, (§. 6. Diff. II.) Inde vsus rei nostrae determinatus alteri pro mercede vel vna vice seu vno temporis interuallo, vel iterata vice per aliquot annos eodem modo, vti merces pro vsu rei alienae vel vna vice vel iterata vice per aliquot annos conferri potest (§. praecc.) et consequenter locationem conductio*nem in transitoriam et non-transitoriam diuidere conuenit* (§. praecc.). L. 32. ff. L. 24. §. 4. ff. loc. conduct.

§. V.

Locatio conductio operis est contractus consensualis, quo alteri operas nostras opere vno ad existentiam perducendo determinatas, pro certa mercede promittimus (§. I.). Opus ad existentiam perducendum omnimode determinatum non est, et consequenter genus inuoluit. Quare locatio conductio operis continet pactum, quo alteri genus quoddam promittitur. Sed pactum, quo alteri genus quoddam iuridicum promittitur, continet pactum initum sub conditione suspensiua potestatiua, quam omnimoda determinatio generis utrisque placita actualis inuoluit (§. 18. Diff. III.). Quare locatio conductio operis continet pactum sub omnimoda determinatione operis actuali utrisque placita seu approbata, tanquam sub condizione suspensiua initum. arg. L. 36. L. 60. §. 3. L. 62. ff. loc. conduct.

§. VI.

## CIRCA LOCAT. CONDUCTIONEM

### §. VI.

Locatio conductio operarum est contractus consensualis, quo alteri operas nostras numero determinatas pro certa pecunia summa promittimus (§. I.). Operae istae nostrae nondum existunt, adeoque omnimode determinatae non sunt, & consequenter genus constituunt uti aliunde constat. Quare locatio conductio operarum continet pactum, quo alteri operas nostras, tanquam genera numero determinata, pro certa mercede promittimus. Sed genus numero determinatum dicitur *quantitas* (§. 17. Diff. III.). Quare locatio conductio operarum continet pactum, quo alteri quantitatem quamdam pro certa mercede promittimus. Sed pactum, quo alteri quantitatem promisimus, continet pactum initum sub conditione suspensiva potestatiua, quam omnimoda determinatio generis pactitii actualis utrisque placita cum annumeratione seu commensuratione coniuncta inuoluit (§. 17. Diff. III.). Quare locatio conductio operarum continet pactum sub omnimoda determinatione operarum, seu generis placiti, actuali utrisque placita, seu approbata, coniuncta cum admensuratione tanquam sub conditione suspensiva potestatiua initum.

B. STRUVII Synt. I. C. Ex. 24. t. 2. §. 24.

### §. VII.

In locatione conductione usus rei certae pecuniae summae alterius substituitur (§. I.). Quare in locatione conductione contrahentes ordinarie aequalem utilitatem percipiunt. Verum ex contractu perfecto, quo utriusque contrahentes aequalem utilitatem percipiunt, utriusque etiam ad medianam diligentiam, sibi iniucem exhibendam, et inde ad damnum culpa leui datum reparandum ordinarie obligantur, si nimisrum de alio consensu in prestatuonem diligentiae gradus a presumto isto diuerso non constet (§. 29. Diff. II.). Quare in locatione conductione perfecta ordinarie locator et conductor obligantur tantum ad damna culpa leui sibi iniucem data reparanda. L. 5. §. 2. ff.

A 3

Com.

Com. L. 23. ff. de R. I. L. II. §. 3. L. 31. in fine, L. 25. §. 3.  
ff. loc. cond.

## §. VIII.

Si locator rerum simul custodiam rerum ad conductorem pertinentium pacto suscipit; tum obligationi ad medianam diligentiam, quae ipsis tamquam locatori rerum inhaeret, alia accedit obligatio pactitia ad aliam diligentiam medianam, quatenus locator custodiae redditur (§. praecc.). Sed si mediae diligentiae alias diligentiae gradus a priori diuersus accedit, tum oritur diligentia maxima (§. 114. Dissert. II.). Quare locator rerum, qui simul custodiam rerum ad conductorem pertinentium pacto speciali suscipit ad diligentiam maximam conductori exhibendum, et inde ad damna, etiam levissima culpa data, reparanda obligatur, L. 40. 41. ff. loc. Nofra harum legum explicatio cum analogia iuris consentit, uti apparet ex L. 55. pr. ff. et L. 4. c. loc. conf. STRUVI Syntagm. Exerc. 24. §. 14. & inde quoque ista L. 40. et 41. explicatur, quam B. THOM. tanquam obstantem principiis Iur. Rom. de imputatione culpa circa contract. allegat. in §. 40. Dissert. suae de praest. culpa in contractibus.

## §. IX.

Quatenus actio nostra casui, ex quo alter detrimentum sentit, sese insinuat; etenus casus mixtus suboritur; qui nobis tum demum ad. reparationem damni imputatur, quandonam isti actioni culpa nobis imputabilis inest. Id, quod iamiam in (§. 34. Dissert. II.) euictum fuit. Cum igitur B. Schoepferus secundum sententiam Carpzouii circa interitum rei locarae casu mixto apud conductorem contingentem culpam leuissimam presumi oportere existimet, unde citata l. 40. et 41. ff. eo accuratius explicatur: periculum faciem confirmandae CARPZOVI sententiae. Homines ordinarie in rebus suis maximum diligentia gradum quidem haud adhibere, nec tamen in infimo subsistere,

ex

ex communi experientia cognitum iamiam §. 22. Diss. II. assumitur. Verum omissione diligentiae maxima in delibera-  
rata efficit culpam leuissimam (§. 114. Diss. I.) eaque,  
quae ordinarie vel adsunt vel insunt rei, presumuntur  
(§. 3. Diss. II.). Quare detrimentum alteri pacienti casu  
actione alterius mixto subnatum culpa alterius saltim leuissi-  
ma datum esse presumitur.

COROLL. I. Alter contrahentium, qui ex contractu quodam  
alteri ad maximam diligentiam exhibendam obligatur, detri-  
mentum, vni pacienti culpa leuissima alterius subnatum, infert da-  
mnum, quod huic alteri ad reparationem damni dati imputatur  
(§. 16. Diss. II.). Hinc detrimentum alteri casu actione alterius  
mixto subnatum, qui ad maximam diligentiam alteri exhibendam  
obligatur, sit presumtive damnum, quod huic alteri presumtive ad  
reparationem damni dati imputatur, quando bic alter non pro-  
bat se ab omni culpa atque ideo leuissima quoque vacum esse. conf.  
Carpzou. P. 2. c. 26. d. 18.

COROLL. II. Vnde apparet, detrimentum alteri pacienti  
casu subortum, alteri, qui etiam alias ad maximam diligentiam obli-  
gatur, hanc imputari ad reparationem, si aut manifeste constat de-  
trimentum esse mero casu subortum, aut saltim actionem alterius,  
quae casui adhaeret, ab omni culpa esse vacuum.

COROLL. III. Tantum igitur abest, ut cum B. THOMASIO  
secentiat GAI. aliorumque ICtorum, quorum citata L. 41. ff. men-  
tionem fecit, rideamus, ut potius eorum intellectum systematicum  
ob corollarium I. et II. venerandum esse ingenue profiteamur.

COROLL. IV. Contra vero cum homines ordinarie medium  
adhibeant diligentiam, ideoque pro quoconque presumtio mediae di-  
lignantiae militet (§. 22. Diss. II.) quae cum leui culpa oponatur  
(§. 114. Diss. I.): nulla remanet presumtio, quod detrimentum  
alteri pacienti casu actione alterius mixto subnatum, leui alterius cul-  
pa datum fuerit. Et consequenter in contractibus, vbi alter ad me-  
diam tantum diligentiam vni obligatur, detrimentum alteri con-  
trahenti casu actione alterius mixto subnatum culpa alterius ad re-  
paratio-

*parationem damni imputabilis datum esse haud praesumitur; potius vero unus, qui culpam leuem alterius allegat, hanc culpam probare debet.* Carpz. P. 2. C. 26. d. 19. Hinc in hocce contractu vbi alter tantum ad leuem culpam præstandam obligatur, alter non tenetur casum fortuitum probare. conf. Dec. Elect. Sax. 79. et Meu. ad I. L. P. 3. T. 8. art. I. num. 20.

## §. X.

*Is contrahentium, qui pacto periculum rei pacitiae singularis in se suscipit, periculum præstare tenetur* (§. 42. Differ. II.). *Quare locator rerum, qui pacto periculum rerum singularem ad conductorem pertinientium absente conductore in se suscipit, periculum quoque præstare tenetur* (§. I.). L. 23. ff. de R. I. L. 13. §. 5. ff. loc. cond.

## §. XI.

*Locator rerum solam custodiā rerum ad conductorem pertinientium suscipiens, eo ipso ad periculum absque illa culpa sua subortum præstandum non tenetur* (§. 35. Diff. III.). L. 41. et L. 55. pr. ff. L. 4. C. loc. cond.

## §. XII.

*Is contrahentium, qui vitium, quo res pacitiae laborat, scivit, vel si ignorauit, facile tamen scire potuit, et alteri non detegit, dolum in prima et culpam vel latam, vel leuem in altero casu committit* (§. 38. Differ. III.). Cum autem locator, qui dolum vel culpam latam et leuem circa huncce contractum committit, conductorem laedat (§. 7. h. 1. et §. 13. Diff. II.). Locator rei, qui vitium, quo res locata laborat scivit, vel quidem ignorauit, sed facile scire potuit et conductori non detegit, efficit, vt mala exinde conductori suborta, fiant damna dolo vel culpa lata vel leui data (§. 123. Diff. I.) et consequenter locator rei qui, vitium, quo res locata laborat, scivit, vel ignorauit, facile tamen scire potuit et conductori non detegit, conductori ad reparationem damnorum exinde subnatorum obligatur (§. 144. l. c.) L. 19. §. 1. ff. loc. conduct.

SCHOL.

## CIRCA LOCAT. CONDVCTIONEM.

SCHOLION. Putat quidem Schoepferus in vasis vitiosis esse singulare quoddam, quod locator licet ignarus dolia vitiosa locauerit, tamen ad interesse teneatur, si vinum inde effluxerit aut corruptum fuerit. Verum cum eiusmodi locator, qui licet ignarus dolia vitiosa locauerit, diligentiam patris fam. intermittat, cum alias facili negotio ista vitia detersere possit; non video, cur circa dolia vitiosa L. 19. §. 1. ff. singulare quoddam statuat: quippe cum locatori mala leui culpa data imputentur ad reparationem damni (§. 7.). Multo autem maius vietori, quoniam tanquam artifex maximam diligentiam praestare tenetur (§. 22. Diss. III.), damnum ex vasis vitiosis conductori subortum ad interesse imputatur. BRUNNEMANN ad L. 19. num. 4. Contra vero, qui saltum pascuum locauerit, in quo herba mala nascebatur, qua pecora vel corrupta vel demorta, vitium, quod locator ignorauit, non tam facile scire potest, inde quoque detrimentum conductori subnatum non quidem ad interesse imputatur, ex acquisite tamen merces remittitur, ratio eius infra §. 34. apparebit.

### §. XIII.

Locatio conductor referri potest ad commutationes (§. I.). Quare conductor, qui locatorem ultra dimidium veri pretii, seu eius laesit, quod usus rei exigitur, locatori porrigit ius suppletionem pretii vel exigendi, vel re adhuc integra a contractu prorsus recedendi; Vtique quoque locator, qui conductorum ultra dimidium veri pretii laesit, conductori ius porrigit vel partem pretii derrabendi, vel re adhuc integra a contractu prorsus recedendi (§. 94. lib. 3. t. 1. Elem. Iur. Ciuit.) conf. L. 2. pr. ff. et pr. Inst. de locat. conduct. L. 2. C. de rescind. emt. vend. conf. LAVTERB. Colleg. Theor. Pract. Lib. 13. t. 5. §. 24.).

### §. XIV.

Conductor seu colonus arbores citra consensum locatoris excidens, re sciens citra visum a locatorre determinatum vtitur (§. I.) et consequenter sciens factum committit, in cuius abstinentiam consensit. Verum eo in casu,

B

quo



quo quis factum committit, in cuius abstinentiam confessit, et in cuius peractione culpa quacunque rem singularem deteriorem reddidit; damnum tam ex contractu quoad dolum, quam ex Lege Aquilia quoad culpam, ad reparationem imputatur (§. 17. et 20. Diff. II.). Quare conductori arbores circa consensum locatoris excidenti, et transplantatione arbores vel hortum corruptenti damnum locatori datum, vel ex contractu vel ex lege Aquilia ad reparationem imputatur L. 25. §. 5. ff. loc. et hoc ipso rursus dubium, quod B. THOMASIVS §. 39. format, remouetur.

## §. XV.

Bonus paterfam. inimicitiam cum domino praedii suo horto vicini euitare quomodounque allaborat, id, quod experientia comprobat. Quare colonus, qui cum domino praedii horto locato vicini inimicitiam excitat, eam diligentiam intermitit, quam bonus paterfam. hac in re adhibet, et consequenter mediam (§. 22. Diff. II.). Vnde colono mala, quae vicinus propter excitatam ab ipso colono inimicitiam horto conducto infert, ad reparationem danni dati imputantur (§. 7.). L. 25. §. 4. ff. loc. etiam si non denegaueris locatori actionem ex L. Aquilia contra vicinum (§. 153. Diff. I.).

COROLL. Contra vero si vicinus ipse citra culpam conductoris suffitauerit inimicitiam, exinde damna in re conducta intulerit, ista damna conductori imputari non possunt ad reparationem, potius vero conductor pro ratione damni in fructibus sibi illati mercedem ex aquitate detrahit, vti ex (§. 34.) apparebit. L. 19. ff. Commod. L. 41. ff. loc. add. BERGERI Oecon. Iur. lib. III. t. 5. §. 23. not. 4. licet locatori actio ex L. Aquilia contra vicinum inimicum, qui damnum in re locata dedit, salutem semper maneat.

## §. XVI.

Vnde quoque apparet, quod damna a vicino in re conducta propter inimicitiam a locatorre excitatam, data locatori ad reparationem conductori praestandam imputari

## CIRCA LOCAT. CONDVCTIONEM ii

tari debeant, (§. praec.) confer. LAVTERB. Colleg. Theor. pract. Lib. 19. Tit. 2. §. 59. Quanquam et ipse locator contra vicinum ex Lege Aquilia agere possit.

### §. XVII.

Vsus rei moraliter impossibilis seu contra bonos mores efficit, vt obiectum locationis conductionis reddatur moraliter impossibile (§. 1.) et cum contrahentes moraliter impossibilia ne velle quidem praesumantur; constat, quod conductor, qui re locata contra bonos mores vtitur, re citra voluntatem locatoris, seu citra usum determinatum ordinarie vtatur. Sed conductor re citra usum determinatum vel dolo vel culpa lata et leui vtens locatorem laedit (§. 8. h. 1. et §. 13. Diff. II.). *Quare conductor re locata vel dolo vel culpa lata et leui contra bonos mores vtens ordinarie locatorem laedit vel dolo vel culpa lata et leui, atque ita locator accipit ius reparationem damni exigendi et conductorem expellendi (§. cit.). Nouell. 14. c. 1. §. 1. L. 3. C. de loc. Cond.*

SCHOLION. Nec Hoppii sententiam ob rationem in praesenti §pho expositam prorsus negligendam esse puto, qui ad pr. Instit. de loco conduced. studiosum expelli posse ait, qui tibiis vel altiore voce cantando vicinis studiosis continuo esset molestus, ad quam sententiam accessit BERGER. in Oecon. Iur. Lib. III. t. 5. §. 25. not. 3. num. 4.

### §. XVIII.

Ex eo, quod locator praesumatur nolle, vt conductor re contra bonos mores vtatur, concludimus, quod locator accipiat ius conductorem re contra bonos mores vtentem expellendi (§. praec.). Vnde si locator sciens meretricibus rem locauerit, tum quidem voluntas locatoris determinata praesumtam noluntatem tollit, atque adeo videtur ne tum quidem locator conducentrices posse meretrices expellere. Conf. LAVTERB. Colleg. Theor. Pr. Lib. 19. t. 2. §. 48. Verum enim vero, quamdiu in  
B 2  
republi-

republica meretricia vita non tolerabilis, tam diu manet obiectum huiusmodi locationis moraliter impossibile, et inde nunquam valida fieri potest huiusmodi locatio. Inde non video, cur locatori non liceat expellere meretrices, etiam si sciens ipsis domum locauerit. conf. LAVTERB. Coll. l. c.

## §. XIX.

Pactum de non expellendo conductore per aliquot annos dependet a locatione conductione non transitoria (§. 4.), adeoque erit pactum accessorium. Quare si locatio conductio inualida redditur, tum quoque validitas pacti de non expellendo conductore per aliquot annos expirabit. Vnde constat, quandonam pactum de non expellendo conductore inter aliquot annos simul expireret, si conductor vel scientie vel ignorantiae locator re locata contra bonos mores utatur. (§. 17. 18.) conf. LAVTERB. Colleg. l. c.

## §. XX.

Locator ad usum rei conductori pro determinata mercede relinquendum obligatur (§. I.), sed is, qui ad actum quemdam existentiae reddendum obligatus est, simul obligatus esse debet ad actum priori oppositum omitendum. (§. II. Diff. I.). Quare locator ex locatione conductione perfecte obligatus est ad ea omittenda, quae usum rei conductori collatum impediunt. Vnde locator, qui absque iusta causa praevia impedit usum conductori conferendum, conductorem laedit. (§. 13. Diff. II.) et ipsi damnia infert (§. cit.) quae locatori ad reparationem imputantur. (§. 144. Diff. I.) L. 15. S. 8. ff. locat.

## §. XXI.

Locator rerum in usum rei determinatum pro certa pecuniae summa conductori conferendum consensit. (§. I.). Obligatio locatoris igitur ad usum rei determinatum conductori conferendum est obligatio moralis patititia ad finem (§. 27. Diff. I.). Sed obligatio moralis ad finem

finem ab obligatione morali ad usum remediorum et remotionem impedimentorum inseparabilis. (§. 29. Diff. I.) Locator adeo ex contractu moraliter obligatur et ad usum remediorum et ad impedimenti remotionem, quibus conductor demum usum rei determinatum obtinere potest. L. 25. §. 1. ff. l. c. Cum autem obligatio moralis supponat, ut obiectum sit in alterius potestate (§. 18. l. c. Inde quoque ista remoto impedimenti, et restitutio usus rei determinati in potestate locatoris esse debet. L. 27. ff. L. 33. ff. loc. cond.

SCHOLION. Ex §pho proxime sequente apparebit, cur hoc in casu locator saltim ex aequitate teneatur ad mercedis remissionem.

### §. XXII.

Locator perfecte obligatur, quantum in ipsis potestate est, ad id remouendum, quod usum rei impedit (§. praec.). Vnde locator, qui id haud remouet, quod usum rei impedit, cum tamen removere possit, conductorem laedit, (§. 13. Diff. II.) et idcirco malum ex ista intermissa remotione impedimenti conductori subovrum, locatori ad reparacionem damni imputatur (§. cit.) L. 33. et L. 30. pr. ff. locat.

### §. XXIII.

Ostia et fenestrae nimium corruptae sunt impedimentum, cur inquilinus usum rei determinatum percipere non possit, huiusque impedimenti remoto, et restitutio aliorum in potestate locatoris. Quare locator ex contractu obligatur ad renouationem et restitutionem ostiorum et fenestrarum nimium corruptarum, (§. 21.) et consequenter locator, qui istam renouationem vel restitutionem denegat, inquinilum laedit, (§. 13. Diff. II.) adeoque damnum infert (§. cit.) Vnde inquilinus hoc in casu accipit ius reparationem damni exigendi, quod mercedi etiam detrahi potest: locator tamen tenaciter restitutionem denegante conditionem derelinquere potest conductor (§. 11. lib. 3. t. 3. Elem.). L. 25. §. 2. ff. loc.

B 3

### §. XXIV.

## §. XXIV.

Locator rerum ex contractu moraliter obligatur ad vsum remediorum, quibus conductor vsum rei determinatum obtinere potest, (§. 21.). Nunc autem pactum, quo locator sibi ab emtore rei locatae promittendum curat, vt conductor vsum rei determinatum a nouo emtore obtineat, considerari potest tanquam remedium, quibus conductor vsum rei determinatum obtinere potest (§. 27. Diff. I.). Quare locator ex contractu obligatur pacto curare, vt conductor apud emtorem rei locatae vsum rei determinatum obtinere possit. Vnde si locator istud pactum intermisit, tum conductor circa contractum laesionem sentit, (§. 13. Diff. II.) et inde, si quod damnum ipsi conductoris infertur, locator ex contractu ad reparacionem tenetur. (§. cit.) L. 25. §. 1. ff. loc. cond. Conf. Illustr. RECHENBERGIL Tr. de Reg. Iur. cit. lib. 3. t. 14. §. 22.

## §. XXV.

Sed quaesitum, an pacto priore a locatore intermissus emtor conductorum expelleret possit? Dicam, quod sentio, salua sententia aliorum. Vsus rei a locatore determinatus ad rō suum pactitium conductoris pertinere coepit (et §. 1. hl. §. 12. Diff. II.). Quare locator rerum, qui absque consensu conductoris, vel saltim praeuia cautione, vt conductori eadem pactione apud emtorem frui liceat, venditionem celebrat, pactum init, quo rō suum pactitium conductoris violatur, & consequenter sub hacce hypothesi venditio erit iniusta, adeoque nec dominium per eandem transfertur (§. 15. lib. 11. t. 1. Elem.). Vnde Iuri Naturali externo magis conuenire videtur, vt conductor sub hacce hypothesi emtorem repellat, quam quod emtor conductorum expellat. Prius apud Batavos, posterius apud Germanos obtineri aigit.

## §. XXVI.

Vendor, re quidem tradita, nondum tamen soluto  
ab

VIXX

ab emtore pretio, de quo soluendo fidem ab emtore non sumvit, dominium rei adhuc sibi retinere valet, conf. §. 35. L. III. t. 5. Elem. Iur. Ciu. Cum autem dominus alteri rem suam locare possit; (§. 2. lib. 11. t. 1. Elem.) inde non implicat, quin venditor ipsi emtori usque ad terminum solutionis pretii rem locare possit. Attamen cum venditor in hoc contractu mixto obligationem ex emtione venditione subortam adimpleuerit, minus autem emtor, quippe qui in solutione pretii moram fecit; (§. 41. Diff. III.). *Idcirco venditor in re nil nisi dolum et latam culpam praefat, emtor autem, qui simul conductor est, etiam leuissimam culpam* (§. 47. Diff. III.).

## §. XXVII.

Pactum sub conditione resolutiva initum conditione existente exspirat, resque reducitur ad initium (§. 14. Diff. III.). Emtio igitur venditio sub conditione resolutiva inita, conditione illa existente exspirat, dominiumque in venditorem recurrat, fugiturque, ac si dominium nunquam sit in emtorem translatum (§. 21. l. c.). Cum autem ad dominum fructus ex re sua prouenientes pertineant. (§. 5. lib. 2. t. 1. Elem.) in emtione venditione sub conditione resolutiva inita conditione illa existente fructus ex re prouenientes, vel saltem aequipollens ad venditorem pertinere incipit. Sed pretium vniuersale omnibus rebus commutandis substitui potest, (§. 87. lib. 3. t. 1. Elem.) et contractus, quo usum rei nobis propriae pro certa pecuniae summa in alterum transferimus, est locatio conductio rerum (§. 1.). Vnde constat, quod emtio venditio, sub conditione resolutiva inita, conditione illa existente quidem exspire, dominus tamen ex locato agere posse. L. 22. pr. ff. loc. cond.

## §. XXVIII.

Locatio conductio non-transitoria est contractus bilateralis, quo conductor singulis annis, vel terminis soluti-

solutioni mercedis destinatis per aliquot annos ad mercedem solendam obligatur (§. 4.). Cum autem is, qui in contractu bilateralis obligationi suae non satis facit, alteri porrigit ius ipsum ad impletionem obligationis cogendi, vel a contractu prorsus recedendi (§. 125. praec. Elem.). Conductor, qui in locatione conductione non transitoria per aliquot terminos mercedem non soluit, locatori porrigit ius ipsum conductorem vel ad solutionem mercedis cogendi, vel a contractu prorsus recedendi. Cum autem alter contrahentium ius suum recedendi prorsus a contractu contra alterum tam diu ordinarie prosequi non possit, quam diu adhuc ius cogendi alterum ad adimpletionem obligationis obtineat. (§. II. L. III. t. 3. Elem.) apparet, cur in locatione conductione non-transitoria, qua conductor per unum alterumque terminum mercedem non soluit, locator in continentis non possit ius suum expellendi conductorem, sed post aliquot terminos solutionis intermissoris, seu post biennium, demum prosequi, intra quod ius principale cogendi conductorem ad solutionem mercedis experiri debet. L. 54. §. 1. L. 56. ff. loc. cond. conf. LAVTERB. Colleg. Praet. lib. 19. t. 2. §. 51.

**SCHOLION.** Hoc demum in loco, vti in aliis, vbi leges romanæ numerum determinarunt, ii, qui methodum philosophicam in iurisprudentia romana componenda prorsus excludere annituntur, aliquid se inuenisse putant, cur iuris romani pertractatio methodo scientifica componi possit nunquam. Verum hoc minime mihi obstat videtur, quo minus iuris romani pertractatio ad methodi leges revocari possit. Ius enim priuatum universale necessaria tantum continet, ideoque ea, quae arbitria sunt, quorum referas numerum arbitriarum seu potius legem numerandi siue decaticam siue aliam, minime determinat; licet, vti in nostro casu, numerum in abstracto exprimat, vnde arbitrium legislatoris, qui ea, quae iure ciuili vniuersali indeterminata fuerunt determinare valet ad lites inter ciues amputandas (§. 158. Pr. E. I. c.) demum iuri ciuili vniuersali conuenienter numerum secundum legem numerandi receptam determinat. Verum hoc

CIRCA LOCAT. CONDVCTIONEM. 17

hoc minime methodo in iure ciuili applicandae obstat, cum idem illud, hoc est numerus in concreto etiam in mathematicis et physicis ex recepta lege numerandi et ponderandi determinandus non impedit, quo minus in mathesi et physica methodus valeat scientifica.

§. XXIX.

Mora moralis cum culpam, saltim leuem ordinarie inuoluat (§. 39. Diff. II.): constat, quod *conductor*, *dammum*, *mora ipsius morali in solutione mercedis locatori rerum subortum, ad reparationem saltim quoad usuras alias consuetas, imputetur* (§. praec.) ad modum (§. 42. Diff. III.) L. 13. l. locat.

§. XXX.

Casualis rei paectitiae singularis interitus obligationem paectitiam et ius tollit, (§. 36. Diff. II.). Res locata externa in locatione conductione rerum est res paectia singularis (§. I.). Quare in locatione conductione rerum casualis rei locatae interitus obligacionem locatoris ad usum rei conferendum et obligationem conductoris ad restitutionem rei tollit (§. praec.) L. 9. §. 3. ff. Loc. Illustr. REC HEN B. Tract. I. 3. t. 14. §. 28. Cum autem merces, ad quam conductor obligatur, non sit res singularis, inde quoque casualis rei locatae interitus abduc obligationem conductoris ad mercedem tendentem non tollit. (§. 33. Diff. II.), L. 9. S. 4. BERG. L. 55. §. vlt ff. l. c. conf. cit. Tr. §. 24.

SCHOLION. Ita saltem ius strictum rem decidit, licet, ut infra apparebit aequitate naturali hocce ius strictum conductori ad modum molestum mitigatur.

§. XXXI.

Casualis rei locatae interitus, cui negligentia quidem domesticorum conductori subiectorum tanquam concusa, minus autem leuis culpa conductoris inest, quam etiam in eligendis domesticis committere potest, ex locatione

C condu-

conductione rerum ordinaria conductori ad reparacionem damni non imputatur (§. 7 hl. et §. 38. Diff. II.). L. II. Pr. ff. Loc. Cond.

SCHOLION. Sub hocce casu corollaria (§. 9.) proposita conductori multum conferunt, cum casum fortuitum probare haud teneatur.

S. XXXII.

Id, quod mero casu contingit, ita comparatum, vt eius non existentia obligationem moralem indeque culpam et dolum nesciat (§. 34. Diff. II.). Quare usus rei locatae mero casu impeditus, ita comparatus, vt eius non existentia obligacionem moralem locatoris, et inde dolum et culpam nesciat. Cum autem damna dolo vel culpa lata vel leui locatoris conductori data, locatori ad reparacionem imputentur (§. 7.): constat, quod locatori rerum usus rei mero casu impeditus ad reparacionem non imputetur. L. 45. L. 55. Pr. ff. L. 4. C. loc. CARPOZOV. p. 2. c. 37. D. 21.

§. XXXIII.

*Malum conductori in re sua casu quidem subnatum, cui tamen culpa vel lata vel leuis locatoris, tanquam concausa inest, locatori ad reparationem damni imputatur (§. 28. Diss. II. et §. 7. hl.) minus, autem si culpa quidem leuis abest, sed leuissima adeat, nisi in casu, quo locator vel custodiam vel periculum rerum ad conductorem pertinentium in se suscepit (§. 8. 9. et 10.). L. 45. L. 55. Pr. L. 4. O. loc. conf. TITII Ius Pr. L. IV. t. VI. §. 18.*

§. XXXIV.

Si conductori liceret mercedem pro detimento, quod mero casu sensit, detrahere, tum locatori rerum, saltim quoad partem, usus rei mero casu impeditus, ad reparationem imputaretur (§. 143. Diff. I.). Quare usus rei mero casu impeditus non efficiat, ut conductor locatori

catori rerum partem mercedis stricto iure detrahere possit (§. 32.). Interea tamen cum locator rerum, si rem non locasset, illud detrimentum, quod mero casu in re occurrit, sentire deberet, et nemo, qui officiis amoris satisfacere intendit, cum detimento alterius absque culpa alterius suborto locupletior fieri velit: constat, quod sub hac hypothesi, qua conductoris usus rei mero casu impeditus, ius strictum, etiam naturale, locatori competens, mercedem totam exigendi officiis humanitatis contradicat. Ponas itaque, quod detrimentum mero casu subortum, omnem prorsus vel saltim maximum sustulerit usum; tum officium humanitatis insigne locatoris conductori in remittenda mercede vel eius parte exhibendum, iuri stricto locatoris, omnem exigendi a conductore mercedem contradicit. Ast eo in casu, quo officium humanitatis insigne alteri exhibendum iuri stricto contradicit, Imperanti licet exceptionem a iure stricto per officium humanitatis insigne alteri exhibendum determinare, quam AEQUITATEM NATURALEM vocauimus conf. (§. 52. lib. 11. t. 7. Elem.). Quare sub hac hypothesi, qua usus rei mero casu prorsus, vel maximus saltim impeditus, ex aequitate naturali magistratui licet conductoris mercedem locatori rerum alias ex soluendam, vel quoad partem detrahere L. 15. §. 7. ff. L. 25. §. 6. eod. C. 3. X. eod. loc. Conf. Illustr. RECHENB. Tr. de Reg. Iur. Lib. III. t. 14. §. 30.

## J. XXXV.

Is contrahens, qui periculum rei paupertiae in se pacto speciali suscipit, ad illud praestandum obligatur, (§. 36. Diff. II.). Quare conductor, qui casus eriam, propter quos usus impeditur, pacto suscipit, eueniente casu nihilominus ad mercedem locatori praestandam obligatur, (§. I.). Quid quod pacto isti speciali conductor iuri suo, ex aequitate naturali sibi competenti, detrahendi mercedem pro usu casu impedito, renunciasse videtur L. 9. §. 2. ff. loc. conf. LAVTERB. Colleg. Pract. lib. 19. t. 2. §. 92.

**SCHOLION.** Sed quid, quaeritur, obtineat, si casus insolitus ponamus. Quoniam ad id demum alteri ex pacto praestandum obligamur, in quod pacto iusto consentimus (§. 12. Diff. II.) et conductor, qui casus etiam, propter quos usus impeditus, pacto in se suscipit, in insolitus et rarissimos haud consensisse praesumatur (§. loc. cit.). Nullus dubito, quin sententia BERGERI in Oecon. Iur. §. 23. not. 5. proposita defendi possit, quod conductor, qui pacto speciali casus in se suscipit, ad insolitus et rarissimos haud teneatur, potius vero ex aequitate naturali adhuc quo ad partem mercedem detrahere possit. Arg. L. 15. §. 2. ff. loc. L. 78. §. vlt. ff. de C. E. V. Verum, quoniam consensus praesumitus, qui alias naturalia contractus constituit, per consensum specialem sive expressum sive tacitum iustum mutari potest (§. 11. Diff. II.), conductor etiam ad casus insolitus ferendos ex pacto obligatur, si expresse casus omnes cum opinatos tum inopinatos pacto speciali in se receperit. Quo BERGERVS in loc. cit. refert non solum edacitatem locustarum, verum quoque onus sueicum die Anno 1706. et 1707. bey dem Schwedischen Einfall in die Chursächsischen Lande geforderte Contributiones, rationes et portiones.

### §. XXXVI.

Exinde, quod locator ipse malum, ex mero casu impedito prorsus usu sensisset, si rem alteri non locasset, deduximus, quod conductori liceat mercedem secundum aequitatem naturalem vel quoad partem saltim detrahere (§. 34.). Ponas itaque casum istum, qui usum impeditivit, personam magis, conductoris afficere, quam rem, tum cessat principium, propter quod saltim ex aequitate naturali conductori licuit mercedem pro ratione impediti usus detrahere. *Quare conductor propter usum impeditum casu, personam ipsius, non rem, afficiente, quorundam morbus pertinet, ne quidem ex aequitate naturali mercedem detrahere vales.* Arg. L. 10. C. loc. cond. conf. Colleg. LAVTER. lib. 19. t. 2. §. 80.

### §. XXXVII.

## §. XXXVII.

Exinde, quod absque culpa conductoris in re conducta usus mero casu impeditus fuerit, intulimus, quod conductori liceat ex aequitate detrahere mercedem pro qualitate usus mero casu impediti (§. 34.). Ponas itaque culpam conductoris casui accessisse, tum remouebis hypothesis, sub qua conductori licet mercedem detrahere, quid quod casus merus tollitur et mixtus ponitur (§. 34. Diff. II.). qui tamen imputabilis. (§. 38. l. c.). Hinc si culpa conductoris accidente in re conducta usus casu mixto seu accidente culpa conductoris impeditus; tum conductori ne ex aequitate quidem licet mercedem detrahere L. 25. §. 3. ff. loc. conf. LAVTER B. L. 19. t. 2. §. 33,

## §. XXXVIII.

Si locator id remouere naturaliter non potest, quod usum rei impedit; tum ipsi malum ex impedito usu conductori subortum imputari nequit, (§. 21.). Quare si locator per vim maiorem vel potentiam alterius id remouere non possit, quod usum impedit; tum ipsi malum ex impedito usu conductori subortum naturaliter ad interessum imputari nequit. Ast cum tamen ipse locator sentire deberet malum, ex hoc, per vim maiorem, impedito usu, subortum, si rem alteri non locasset, et nos in (§. 34.) exinde explicuerimus, quod tum demum ex aequitate naturali conductor mercedem vel saltim pro parte detrahere possit, si usus rei mero casu impeditus fuerit: Idecirco quoque leges determinarunt, quod in casu, quo locator propter vim maiorem vel potentiam alterius id remouere non possit, quod usum impedit, locator quidem de praefatione interessus securus sit, attamen pati debeat, ut ex aequitate naturali conductor mercedem, quatenus usus hoc modo impeditus est, detrabat. L. 33. in f. ff. locat.

## §. XXXIX.

Si locator vitium, quo res locata laborat, ignorauerit, nec etiam facile scire potuerit, tum malum ex hoc vitio

C 3

con-

conductori, subortum ad reparationem moraliter impunitari nequit, (§. 21. et 12.). Inde tamen, cum et ipse hoc modo locator, si rem alteri non localet, malum ex ignoto vitio subortum subiisset; et nos ex hoc fundamento concepimus, quod conductori vel saltim secundum aequitatem liceat mercedem pro quantitate mali sibi suborti detrahere (§. 34.). Perispicum est, quod leges eo in casu, quo conductori ex vitio a locatore iuste ignorato, malum subnatum, illud quidem locatori minus ad reparationem imputauerint, ex aequitate tamen conductori permisent mercedem pro quantitate mali subnati detrahere. L. 19. §. 1. infin. ff. 1. c.

## §. XL.

Vsus rei mero casu vel prorsus vel saltim quoad maximam partem impeditus demum efficit, ut ex aequitate, naturali conductori liceat mercedem vel saltim quoad partem detrahere (§. 34.). Vnde, si vsus quidem mero casu, sed modice impeditus, non efficit, ut ex aequitate naturali conductori liceat, vel quoad partem mercedem detrahere, quippe cui et modicum lucrum non auferatur. L. 25. §. 6. ff. LOC.

SCHOLION. Quoniam τὸ modice opponitur τῷ enormiter; hinc detrimentum conductori ex vsu mero casu impedito subnatum dimidium mercedis aliarumque impensarum in rem conductam factarum excedat necesse est, principio (§. 94. I. III. t. 1.) Elem. iur. ciu. conuen. CARPZ. P. 2. C. 37. d. II. BRVNNEM. ad L. 15. ff. 1. c. num. 16. RICHTER Dec. 81. num. 19.

## §. XLI.

Si vno quidem anno vsus rei propter sterilitatem impediatur, sequentibus autem annis maior libertas sequatur; tum gradum officii humanitatis in remittenda conductori mercede eidem a locatore exhibendum, subflequens insignis libertas diminuit in locatione conductione non-

non-transitoria (§. 4.) secundum demonstrationem (§. 34.) datam, et conseqüenter officium humanitatis insigne, quod locator alias, si insignis ubertas postea non fecuta fuisset, conductori in remittenda mercede debuisset, interrupitur, indeque aequitas naturalis, quae uno anno remissionem exigit, exceptionem tollit. Vnde in locatiōne conductione non-transitoria locatori, qui propter sterilitatem unius anni mercedem saltim quod partem remisit, ista remissio propter insignem uberratam sequentium annorum non obesse potest, L. 25. §. 6. ff. L. 15. §. 4. ff. loc. L. 8. C. de loc. Id quod recte in re publica arbitrio oeconomorum Haushwirtt. Ernēssung, dirimendum, vel aestimandum relinquitur secund. Illustr. RECHENBERGII Tract. L. III. t. 4. §. 32.

## §. XLII.

Quamdiu autem conductor ob usum rei conductae mero casu impeditum mercedem locatori ex aequitate naturali detrahere possit, in diuersis ICt abiere sententias. ALII enim existimant, quod conductor tamdiu tantum mercedem ob usum mero casu impeditum detrahere possit, quamdiu fructus nondum percepérit atque ad confirmandam hancce sententiam allegant. L. 61. §. 8. ff. de furtis, ALII autem tamdiu conductori licere mercedem detrahere aiunt, propter usum rei mero casu impeditum, quamdiu fructus non sunt collecti et in horreum inuesti; atque pro adstruenda haccce sententia, ut ego quidem puto, infelici satis arguento, vtuntur L. 13. ff. quib. mod. ususfr. Deinde ALII etiam amplius permittunt conductori sub data determinatione mercedem detrahere, nimirum donec fructus triturati et granariis illati fuerint, eamque sententiam usū fori receptam esse afferit BERGER. in Oecon: Iur. Lib. III. tit. V. §. 23. not 5. num. 3. Quid quod nullus dubito, quin haecce sententia usū fori approbata ex principiis defendi possit. Tum enim demum usum rei percipere determinatum valet conductor, quando nimi-

nimirum fructus triturati sint et granariis illati, adeo, vt fructus illicet collecti et in horreum inuecti sint, nondum tamen trituratos et granariis illatos neque vendere neque in vsum oeconomicum conuertere possit. Conductor igitur mero casu, qui circa fructus perceptos quidem et collectos, imo in horreum conuectos, nondum tamen trituratos et granariis illatos, contingit, in vsu rei conductae impeditus dici potest. Quare cum vslu rei conductae mero casu vel prorsus vel saltim quoad maximam partem impeditus, efficiat, vt ex aequitate naturali conductori liceat mercedem vel faltem ex parte detrahere, sententiam istim vslu fori approbatam principiis nostris conuenire latissime patet.

## §. XLIII.

Is qui sponte se contractui offert, et simul utilitatem quamdam ex eodem percipit, ad maximam diligentiam alteri exhibendam, et inde ad damna culpa etiam leuisima data reparanda obligatur, (§. 30. 32. Diff. II.). Quare locator vel conductor vltro se se locationi conductioni offerens, ad maximam alteri diligentiam exhibendam, et inde ad damna culpa etiam leuisima alteri data reparanda obligatur. L. 23. ff. de R. I.

## §. XLIV.

*Qui publice vel artem, vel operas, vel custodiam rei, pro certa mercede proficitur, is sponte se se locationi conductioni operarum offert (§. 30. Diff. II.) et consequenter is, qui publice vel artem vel operas, vel custodiam rei pro certa mercede profitetur, ex locatione conductione ad damna culpa etiam leuisima conductori data reparanda obligatur, (§. praec.) L. 9. §. 5. ff. loc. cond. Inde cum imperitia artificis saltim culpae leuissimae adscribenda (§. 114. Diff. I. simul constat, quod *damna imperitia artificis alteri in re data sint reparanda* S. pen. I. L. 13. §. 5. ff. loc. cond.*

§. XLV

## §. XLV.

*Is contrahentium, qui negotium pacto iusto in se suscipit, cuius peractio sumnum diligentiae gradum exigit, ad maximam diligentiam in negotio exhibendam obligatur (§. 31. Diff. II.). Cum autem transportatio rei caducae e. gr. columnae, ad locum, sit negotium, cuius peractio sumnum diligentiae gradum exigit: constat, quod *is, qui rem caducam, e. gr. columnam transportandam ab altero conduit, ad maximam diligentiam vi ipsius locationis obligetur.* L. 25. §. 7. ff. loc. conduct.*

## §. XLVI.

*Casualis rei pactitiae interitus maximam quoque hominis diligentiam transgreditur (§. 35. Diff. III.): licet itaque aliquis operas publice profiteatur, tamen ex ipsa locatione ad casualem rei pactitiae interitum seu periculum in re absque culpa locatoris obueniens conductori praestandum non obligatur (§. 42.): ad quod tamen obligatur expacto speciali, quo periculum in se suscepit (§. 10.). L. 13. §. 5. L. 41. ff. Locat. cond.*

**COROLL.** Artifex tamen ad casum fortuitum probandum tenetur secundum principia §. 9. tradita.

## §. XLVII.

Locator siue conductor, qui interitum rei singularis in se suscepit, ad aliam rem sub eodem genere et pretio contentam alteri conferendam perfecte obligatur (§. 10. h. l. 42. Diff.). Cum autem locator operis, qui ex materia data aliam speciem se opera sua efformaturum promisit, interitum rei singularis pacto tacito suscipiat. Quippe cum partes extra partes modo possibili compositae dissoluuntur, et alio modo possibili opera artificis componuntur. *Quare locator, qui ex materia data aliam speciem se efformaturum promisit ad periculum conductori praestandum obligatur.* L. 31. ff. loc. conf. STRUVII Syn. Exerc. 24. §. 23.

D

## §. XLVIII.

## §. XLVIII.

Pactum bilaterale sub conditione suspensiua potestatiua initum ante conditionis illius potestatiuae existentiam, non est perfectum; neque inde obligationem in altero repromittente, neque ius in acceptante producit (§. 12. Diff. III.), adeoque periculum rei paetitiae est penes priorem promittentem; post existentiam autem illius conditionis suspensiuae potestatiuae obligationem in repromittente producit, et periculum rei paetitiae etiam penes eundem esse intelligitur, secundum principia quae (§. 49. Diff. III.) continentur. Locatio conductio operis faciendi continet pactum sub existentia operis paetitii ab una, et approbatione ab altera parte, tanquam sub conditione suspensiua potestatiua initium (§. 5.). Quare ex locatione conductione operis faciendi ante existentiam operis paetitii ab una parte, et potestatiuam approbationem ab altera parte factam, nulla obligatio conductoris producitur, potius periculum est penes locatorem operis, post existentiam autem operis ab una parte, et potestatiuam approbationem a conductore factam obligatio conductoris ad mercedem producitur et periculum quoque penes conductorum esse incipit. L. 36. L. 37. ff. Loc. cond. L. 60. §. 3. ff. l. c.

## §. XLIX.

Ex locatione conductione operarum ante existentiam operarum paetitiarum ab una, et approbationem potestatiuam ab altera parte, nulla obligatio conductoris ad mercedem producitur, potius vero periculum est penes locatorem; post existentiam autem operarum paetitiarum, ab una et approbationem potestatiuum ab altera parte cum admensurazione coniunctam obligatio conductoris ad mercedem producitur, et periculum apud conductorum esse incipit (§. praece. 6. et §. 18. Diff. III.). L. 36. ff. loc. cond.

## §. L.

In locatione operis faciendi et operarum, locator in operas determinatas ad existentiam perducendas conductor

ductor autem in approbationem operarum existentiae traditarum, et admensurationem, tanquam in conditionem potestatiuam confenserunt (§. 5. 6. hl. et §. 3. Diff. III.). Quare in locatione conductione operis faciendi, vel operarum locator obligatur ad operas efficiendas, conductor autem ad approbationem operarum determinatarum atque mercedem locatori conferendam. Sed omnis obligatio pactitia est moralis atque ita voluntatem efficacem exigit promissum effectui dandi (§. 22. Praecog. ad Elem.). Quare locatio conductio operis vel operarum a locatorе exigit voluntatem efficacem opus pactitium vel operas illas pactitias conficiendi et a conductore etiam voluntatem efficacem approbandi opus pactitium vel operas et conferendi locatori mercedem.

## S. LI.

Si locator operis vel operarum tempore conuento voluntatem efficacem praebet opus illud pactitium, vel illas pactitias operas conficiendi penes conductorem autem fuerit, quo minus locator illud vel illas praestet; tum locator operis vel operarum tempore conuento habet voluntatem efficacem obligationi suae pactitiae satisfaciendi, propter impedimentum autem conductoris insuperabile actum non consequitur, (§. 27. Diff. III.). Nunc autem ei, qui voluntatem efficacem habet obligationi suae tempore conuento satis faciendi, etiamsi illa propter impedimentum ab altero oblatum minus superabile actum non consequitur, moraliter imputari non potest, quod obligationem suam effectui non deridit (conf. §. 519. Iur. Nat. B. KOEHLERI.). Quare locatori operis vel operarum eo in casu, quo ipse quidem tempore conuento paratus fuit ad conficiendum opus illud vel operas pactitias, attamen penes conductorem fuerit, quo minus operaе praestentur, moraliter imputari nequit, quod obligationi suae pactitiae non vacuerit, consequenter locator operis vel operarum sub hac hypothesi ab obligatione sua pactitia liberatur. Verum

D 2

ex



ex locatione conductione operis vel operarum, locator ab obligatione sua pahtia liberato, incipit obligatio conductoris ad mercedem (§. 1. et 48.). Vnde constat, quod eo in casu, quo locator operis vel operarum paratus fuit ad conficiendum opus illud vel operas et tantum penes conductorem fuerit, quo minus operaे praeſentur, conductor ad mercedem soluendam obligetur. L. 38. ff. locat. L. 24. ff. de condit. et demonstr. L. 161. de R. I.

## §. LII.

Interea tamen cum aequitas naturalis suadeat, ut nemo locupletior fiat, cum alterius detimento absque culpa alteri subnato. Et tum demum locator determinatus locupletior euadat cum detimento conductoris absque culpa ipsius subnato, si locator aliunde pro operis mercedem accipiat, conductor autem mercedem soluens absque culpa sua impeditus sit, quo minus paratas operas accipere possit: constat, quod sub bacce hypothesis, qua noster locator aliunde pro operis mercedem accipit, conductor autem absque culpa impeditus sit, quo minus operas tempore conuento paratas acceptare possit; aequitas naturalis conductorem a solutione mercedis liberet. conf. L. 19. §. 9. et 10. ff. loc. cond.

## §. LIII.

In locatione conductione operis post existentiam operis ab vna parte, et potestatiuam approbationem a conductore factam, obligatio conductoris ad mercedem producitur, et periculum penes conductorem esse incipit (§. 46.). Ponas itaque partem operis, e. gr. aedificii, esse exstructam, atque a conductore approbatam: tum interitus partis illius operis, seu aedificii casualis est penes conductorem, ipseque ad mercedem, parti illi exstructae proportionatam, obligatur, et ita L. 59. ff. loc. cond. intentioni L. 36. ff. eod. conuenienter explicari mihi videtur.

## §. LIV.

## §. LIV.

In locatione conductione quacunque ordinarie casus quidem minus, dolus autem et culpa lata et leuis ad reparationem damni imputatur (§. 18. 19. 36. Diff. II. et §. 7. h. 1.). Vnde in locatione conductione operis vel operarum locatori casus, qui ipsum impedit, quo minus opus vel operas praefliterit, minime quidem, denegatio autem operis vel operarum dolo vel culpa lata et leui facta, ad reparationem damni conductori inde subnati imputatur (§. 1.). L. 15. §. 6. ff. loc. cond. conf. TITII Ius pr. lib. IV. t. 6. §. 15.

## §. LV.

In locatione conductione operis vel operarum casus, qui locatorem impedit, quo minus opus vel operas praefliterit, ipsi minime quidem ad reparacionem damni imputatur (§. praec.). Verum tamen cum in hac locatione periculum ante existentiam operis vel operarum, et potestatiuam approbationem a conductorere factam sit penes locatorem (§. 46.): in locatione conductione operis vel operarum, qua locator casu impeditus, quo minus opus vel operas praefliterit, conductoris obligatio ad mercedem exulat. conf. TITII Obscr. 603. ad Comp. Iur. LATERE.

## §. LVI.

Porro cum leuissima culpa locatori operis vel operarum ex hoc contractu ordinarie non imputetur (§. 7.). appareat, quod locatori, casu quidem, cui etiam leuissima culpa tanquam concussa ineſt, eo redacto, ut opus vel operas praefflare non possit, malum conductori exinde subortum ex hac locatione ad reparationem quidem minus imputetur. (§. 38. Diff. II.); attamen sub hac hypothesi simul obligatio conductoris ad mercedem locum non habet (§. praec.) L. 9. pr. ff. loc. cond.

## §. LVII.

Societas herilis mercenaria est societas pactitia ad certum ministeriorum vel operarum genus numero de-

D 3 termini

terminatum pro certa pecuniae summa et conferendis facie alimentis alteri praestandum inita (§. 4. lib. 1. t. Elem.). Cum itaque locatio conductio operarum sit contractus, indeque pactum vestitum, quo alteri operas numero determinatas pro certa pecuniae summa promittimus (§. 1.): sequitur, ut societas herilis mercenaria plurima in se contineat, quae locationem conductionem operarum efficiunt; etiamsi nonnulli quamdam adhuc inter hunc contractum, et istam societatem differentiam quaerunt, quod scilicet in contrafactu locationis operae magis determinatae sint, quae in societate herili indeterminate, magis relinquentur, et a domino determinantur.

## §. LVIII.

In societate herili mercenaria socii ad personas magis individuas respiciunt. Cum autem pactum, quo pacientes promissa sua ad personas individuas restringunt, dicatur in re publica personalissimum, conf. (§. 73. l. 1. t. 3. Elem.): constat, quod societas herilis mercenaria contineat locationem conductionem operarum, sed personalissimam (§. praec.).

## §. LIX.

Mala, quae conductor in locatione conductione operarum dolo vel culpa lata et leui locatoris sensit, locatori ad reparationem damni imputantur (§ 7.). Quare mala, quae dominus in societate herili mercenaria dolo vel culpa lata et leui sertii sensit, seruo ad reparationem damni domino praestandam imputantur (§. 55.). CARPZ. P. 2. c. 51. d. 16.

## §. LX.

Dominus in societate herili mercenaria accipit imperium dominicum in seruum, quod se se ultra modicam castigationem in commodum rei domesticae non extendit (§. 20. 33. 44. lib. 1. t. 6. Elem.). Cum autem in locatione conductione operarum conductori imputetur,

tur, vel ad reparationem damni, vel etiam ad poenam, si dolo vel culpa lata et leui locatorem laeserit (§. 7. hl. et 18. 19. Diff. II.): domino tanquam conductori, qui dolo vel lata vel leui culpa modum castigationis excedit, mala famulo illata et ad reparationem damni et ad poenam imputari possunt. arg. L. 13. §. 4 ff. loc. cond. L. VII. C. de emend. seu. Churf. S. G. Ord. 1550. t. von Ges. Lohn, conf. BERGERI Oecon. Iur. p. 92.

## §. LXI.

Societas herilis mercenaria reddit ad locationem conductionem operarum personalissimam (§. 5. 6.). Sed locatio conductio operarum personalissima morte alterius contrahentium tollitur, et inde obligatio ad mercedem, vti obligatio ad operas cessat (§. 73. lib. 1. t. 3. Elem.). Quare societas herilis mercenaria morte vel heri vel serui tollitur, et inde quoque post mortem heri obligatio ad mercedem in herede eius neque continuatur, neque obligatio serui ad operas; Porro quoque post mortem serui, neque obligatio heri ad mercedem, neque obligatio ad operas in herede serui continuatur. Verum tamen cum quantitas operarum totalis toti mercedi substituatur (§. 1.): seruus quoque pro quantitate temporis, quo operas praestitit, mercedis partem, obtinet, quam iam acquisiuit; et idcirco seruus eueniens morte domini mercedis partem ex quantitate temporis, quo operas praestitit, determinatam ab herede domini eodem modo exigit, vti post mortem serui, eius heredes a domino exigunt mercedem. CARPZ. Pr. c. 51. §. 42.

## §. LXII.

Locatio conductio operarum personalis continetur sub locatione conductione operarum, ut species sub genere. Vnde praeter ea, quae de pacto personalissimo eueniente morte unius pacientis individui continent, simul ea, quae de locatione conductione operarum cognita, ad locationem

CON-

conductionem operarum personalem, tamdiu applicanda sunt, quam diu euentus mortis horum contrahentium abest.

### f. LXIII.

*Herus ad mercedem seruo praefandam stricto iure obligatur, si seruus paratus fuerit ad operas praefandas, et tantum penes herum viuentem fuerit, quo minus operae praefentur (§. 62. et 51.). Attamen si herus viuus absque culpa sua impeditus, quo minus operas paratas a seruo acceptare possit, et seruus tamen interea pro operis aliunde mercedem acciperet; tum aequitas naturalis etiam herum viuentem a solutione mercedis liberat (§. 52. et 62.). conf.*

*TITII I. pr. l. c. §. 23. et 24.*

### S. LXIV.

*Seruus, qui solo casu, vel casu quidem, cui tamen culpa ipsius levissima tanquam concava inest, impeditus est, quo minus domino operas exhibeat ad reparationem quidem malo domino exinde suborti non obligatur, mercedem tamen a domino iure stricto exigere non potest (§. 54. 55. 56. 62.). Quanquam si ex postfacto hoc modo impeditus fuerit, mercedem adhuc exigat pro quantitate temporis, quo operas praefitit. (§. 62. 61.).*

### f. LXV.

*Seruo, qui domino vel dolo vel culpa lata et leui operas denegat, mala domino inde suborta ad reparationem damni imputantur (§. 62. 54.). Inde quoque dominus loco reparationis mercedem pro operis iam iam a seruo praefitit, debitam, propter istam denegationem operarum, retinere potest (§. 143. Diff. I.). CARPZ. P. 2. C. 51. d. 13.*

### f. LXVI.

*Ex iis, quae (§. 54. 55. 62. 63. et seq.) de locatione conductione operarum differimus, apparet, quod LOCATIO CONDUCTIO OPERARVM IN REALEM ET PERSONAS LEM diuidi possit, in illa heres conductor, qui operas a locatore*

*catore paratas propter subuenientem mortem acceptare nequit, tamen ad mercedem soluendam obligatur, minus autem in hac personali.*

## S. LXVI.

Si pater vel curator filium suum vel minorem in arte quadam illiberali instituendum cuidam artifici vel opifici ex collegio opificum, et postea ipsi collegio offert; tum pater vel curator certam pecuniae summam pro operis opificis instituendo filio. vel minori individuo conferendis promittit, opifex autem non solum per se, verum quoque pro successore suo sub consensu collegii opificum operas suas per aliquot annos ad puerum instituendum conferendas, pro certa pecunia patri repromittit, id quod tanquam iudicium intuituum assumere licebit. Cum autem contra dictum, quo quis operas numero determinatas alteri pro certa pecuniae summa promittit, dicatur locatio conductio operarum (§. 1.), illudque pactum, quo promissum simul ad successorem extendimus, reale dicatur (§. 73. L. 1. t. 3. Elem.); constat, quod *in negotio isto, quo pater vel curator filium vel minorem alicui opifici, et inde collegio opificum in arte quadam pro certa pecunia instruendum offert, apprehendamus locationem conductiōnem operarum a parte opificis realem, a parte pueri vero personalem.*

## S. LXVIII.

*Si opifex dolo vel culpa lata aut leui in castigatione pueri negligenter modum excesserit; tum ipsi malum, puer vel eriam parenti ex inde subortum, ex locatione ad reparationem damni iuri ciuili uniuersali conuenienter quoque ad poenam imputari potest. (§. 67. 7. 60.). L. 13. §. 4. ff. loc. quid quod talis opifex puer vel etiam eius parenti aut curatori ius porrigit a locatione conductione operarum prorsus rece-dendi (§. 17. et §. 28.), vel postea ipsum collegium opificum ex pacto adigendi, ut ipsi puerlo alium opificem magistrum subministret (§. 67.).*

COROLL. Quandonam puerlo vel eius parenti damna opifici in rebus suis illata ad reparationem damni imputari possint appearet ex (§. 7.).

E

§. LXIX.

34 DE IMPVTAT. CVLPAE CIRCA LOCAT.

§. LXIX.

Si in locatione conductione operarum reali locator paratus fuerit ad operas conductori praestandas, et tantum penes conductorum fuerit, quo minus operaे praeftentur; tum nihilominus conductor ad mercedem soluendam stricto iure obligatur (§. 51.). Quare si artifex vel opifex paratus fuerit ad operas suas puer suo instituendo praestandas, et tantum penes puerum, vel eius patrem fuerit, quo minus operaе praeflarentur; tum puer vel eius parens, aut curator nihilominus ad mercedem opifici soluendam stricto iure obligatur (§. 67.). Conf. LAVTER. Colleg. Theor. Pract. lib. 19. t. 2. §. 106.

§. LXX.


Vnde si puer absque iusta causa opificem deseruerit, vel etiam intra annos institutioni destinatos mortuus, vel alio quoconque casu impeditus fuerit, nihilominus puer vel eius parens, aut curator ad mercedem opifici soluendam obligatur (§. praecc.). Conf. cit. Aut.

§. LXXI.

In locatione conductione operarum, qua locator casu impeditus, quo minus operas praeflaret, obligatio locatoris ad interesse, et conductoris ad totam mercedem quidem exulat (§. 53.54.). attamen ex parte pro quantitate temporis obtinet, quo operaе praefitae sunt (§. 52.60.). Quare si opifex casu e. gr. morbo vel morte impeditus fuerit, quo minus puerо instituendo operas praeflaret, tum vel ipse vel eius heres, qui operaе vltiores praeflare nequit, non quidem ad interesse praestandum obligatur; attamen nec puer, nec eius parens ad totam mercedem soluendam obligatur, sed tantum ex parte pro quantitate temporis, quo operaе praefitae fuerunt (§. 65.). Interea tamen collegium opificum ex pacto obligatur ad alium opificem huic puerо, cuius opifex magister casu impeditus fuit, subministrandum, cui pro reliqua quantitate temporis, quo opera opificis adhuc indiget, reliqua pars mercedis soluitur (§. praecc.).

F I N I S.





Jena, Diss.,




JA → f  
L

MW 14 10 Stück verknüpft

KO18



B.I.G.



DISSESSATIONE IVRIDICA  
IMPV TATIONEM CVLPAE  
CIRCA  
LOCATIONEM CONDV-  
CTIONEM

24  
1738, 21

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE  
SAYNAE ET WITTGENSTEINII CETERA.

EX CONSENSV

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE

**IO. IVST. SCHIERSCHMIDIO**

I. V. ET PHIL. D. FACVLT. PHIL. ASSESSORE DE-  
SIGNAT. ET REGIMINIS SAXO ISENACENSIS  
ADVOCATO IMMATRICVLATO  
PRAECEPTORE SVO PIE COLEND

PVBLINE PROPONET

**IOH. ADOLPH. DANIEL MANEKE**

PHILOSOPH. ET L. L. C.  
BEVTZENBVRGENSIS MEGAPOLITANVS

AD DIEM IV. OCTOBR.

IENAE  
LITTERIS HORNIANIS.